

PA

3973

B2B6

Chap.

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

*Chap.* PA 3973

*Shelf* .B2B6

UNITED STATES OF AMERICA.

















De

**Baccharum Euripideae prologo et parodo.**

---

**Commentatio philologica**

quam

auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

**Academia Rostochiensi**

summos in philosophia honores

rite consecutus

edidit

**Conradus Bock**

philosophiae doctor.

Particula prior.

74242


---

**Colbergae, 1871.**

Typis C. F. Postii.

PA 3973  
B2B26

LC Control Number



2003 354723

# Guilelmo Michael

philosophiae doctori, gymnasii bilefeldensis

magistro

**exiguum hocce amoris pignus**

pio animo

offert

**auctor.**

## I.

*Βιβλίον Euripidis κάλλιστον*, ut ait Strabo, Bacchas fabulam optimo haberi iure nemo, opinor, vel hodie infitiabitur. Nam sive totius fabulae spectas compositionem, nulla fere omnium, quibus temporum iniuria pepercit, Euripidearum constantiore continetur unius argumenti perpetuitate, sive ad singularum personarum descriptionem, nulla exhibet accuratius harum depictos mores, diligentius explicata consilia, sive ad orationis genus, nulla aut in diverbiis maiorem monstrat dignitatem aut canticorum praestat vel venustate metrorum vel sententiarum gravitate. Praeterea nulla Euripidis, quin etiam Sophoclis ausim dicere — divinum illum Aeschylum vix licuerit in certamen vocare — nulla, inquam, graviolem habet magnificentiolemve materiam, nulla tantam spirat deorum venerationem ac religionem, quantam Bacchae: omnia hic ostendunt summam divinorum numinum reverentiam ac pietatem, omnia hic spectant ad deorum cultum.

At accuratius in hanc inquirenti fabulam tam in critica arte exercenda, quam in singulis rebus interpretandis non exiguae offeruntur difficultates. Critica enim propter inusitatam fere alias codicum manu scriptorum penuriam eorumque ne bonorum quidem, sed turpissimis vitiis inquinatum insignia facessit et insuperabilia negotia; interpretis autem officio qui hac in fabula fungitur, vendum ei est, ne sententiarum diversitate et coniecturarum multitudinem, quas hic ille doctus vir de singulis rebus protulit vel commendavit, obruatur plane et ab recta via avocetur. Quare

cum et temporis brevitatis et importunitas loci plura me circumspicere vetaret, iis potissimum acquiescendum putavi copiis, quibus a Bothio, Elmsleio, Hermanno, Hartungio, Schoenio in medium prolatis uti mihi licuit, in quibus adhibendis ut rectam rationem et viam invenisse atque interdum etiam quantumcunque novi ad interpretandas singulas res contulisse iudicem, valde cupio.

Priusquam vero ad ipsam prologi et parodi Baccharum fabulae interpretationem aggrediamur, liceat nobis primum pauca monere de prologi ratione, deinde de Bacchi cultu huiusque principiis in universum nonnulla disputabimus, denique qualem de Dionyso fabulam finxerit Euripides sumus exposituri.

Jam prologos ea ratione ac consilio constat conscribere solitum esse Euripidem, ut quibus quasi fundamentis superstruxisset totam fabulam doceret auditores. Nam cum omnium quidem fere tragoediarum, certe Euripidearum, argumenta versarentur in mythis illis maxime variis, qui et de ipsis diis ferebantur et de rationibus, quae vel his cum hominibus singulis quibusdam vel humanis rebus cum divinis intercederent, sed multa tamen vel addendo vel detrahendo vel aliter fingendo vulgatas fabulas mutare consuessent poetae, fieri non poterat, quin, priusquam ipsius dramatis actio institueretur, spectatores quas ad rationes fabulae argumentum digessisset poeta, quibusque ab originibus ad finem perducturus esset fabulam, fierent certiores. Quare ad epicum potius quod vocant, quam ad dramaticum genus referendi videntur prologi, quippe in quibus non colloquendo et agendo filum fabulae deducatur, sed narrando potius initia et fontes rerum agendarum exponantur. Hoc prologorum consilium quibus defendi posse videatur rationibus — permultis enim plurimorum obnoxium fuit offensionibus — hoc loco explanare huius nos vetat scriptionis consilium et finis, illud tamen monere liceat, si ullius fabulae alius, certe nostrae prologum suam habere defensionem. Nam in summa illa, quae de Baccho ferebantur, fabularum multitudine et varietate cum plurima inessent, quae spectatorum cogitationem late vagari sinerent, id profecto dandum erat poetae, ut et qualem Bacchum exhibi-



turus esset et quae ex iis, quae de Bacchi ortu et cultu ferebantur, ad tragoediae argumentum apte constituendum elegisset, summatim explicaret.

Jam vero de Bacchi numine eiusque cultu disputaturis id minime nobis posse videtur esse consilium, ut omnibus, quae de illius ortu, educatione, religionibus ex antiquitate ad nos pervenerunt, fabulis accurate compositis et perlustratis, hoc loco in fontes et initia inquiramus, quibus ortus Bacchi cultus tanta ceperit incrementa tantumque nactus sit ambitum, quantum Euripidis temporibus continuisse eum videmus. Eiusmodi enim quaestiones iis relinquendas putamus, qui singularem in mythologia cognoscenda explicandaque ponunt operam, nos in universum, quatenus ad nostrum propositum pertinere videbitur, pauca tantum de cultu illo disputabimus.

Jam Bacchi cultus eius temporis quasi quandam imaginem repraesentare videtur, quo homines ad humanum cultum nondum deducti feram agrestemque debebant vitam in agris bestiarum modo vagantes, victu fero vitam propagantes neque ratione quidquam sed pleraque viribus corporis administrantes. Nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo nuptias viderat legitimas, nemo ius aequabile quid utilitatis haberet acceperat; attamen sceleribus culpaque vacui naturalem quandam vitam agebant cum silvestribus campestribusque bestiis arte coniunctam. Itaque in Baccharum fabula naturale illud vinculum, quod est inter homines et bestias vel potius totam rerum naturam minime solutum videmus, sed arctissimum potius. Quid enim? quod Maenades pellibus cervinis se induunt (v. 111 *σικκιῶν ἐνδυτὰ νεβριδων*, v. 137 *νεβριδος ἔχων ἱερὸν ἐνδυτόν*), crudis hinnuleorum carnibus vescuntur (v. 139 *αἶμα τραγοκτόνον, ὤμοφαγον χάριν*), angues capillis implicant (v. 102 *ἄγραν ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις*), quod hederaceis et querneis et abiegneis frondibus coronatae debacchantur, quod inter Maenadum choras humus lacte, melle, vino redundare dicitur — nonne haec omnia quam firmo vinculo cum tota rerum natura ii, qui Bacchi sacra obibant, coniuncti sibi visi sint, demon-

strant, ut iure statuamus, Bacchi cultum id humani generis aevum repraesentare, quo nuliodum humano cultu homines a naturali vita erant segregati.

Sed haec hactenus. Altera restat quaestio de illa ipsa fabula, quam Euripides Baccharum tragoediae substruxisse videatur. Atque si omnia, quae Euripides vel accurate enarrat vel adumbrat certe, complectamur, haec fere evadunt.

Jupiter Semeles amore incensus cum hac concumbit eamque gravidam reddit. Quo exacerbata concubitu Juno instigat illam, ut Jovem iubeat eodem maiestatis divinae splendore indutum, quo Junonem ambisset, ipsi sese ostendere. Quod cum acriter instanti concessisset tandem Jupiter, hanc fulmine ictam ferunt diem obisse supremum, ipsius autem aedes igni fulmineo combustas esse. Quae omnia quamquam Euripides non enarrat diserte, tamen inde licet concludere eum a vulgata fabula non discessisse, quod *δόμων ἐρείπια* vocat *ἀθάνατον Ἥρας εἰς τὴν τοῦ Διονύσου μητέρα ὕβριν* (v. 9). Recens natum ut a Junone absconderet in suum femur Jupiter insuit et, ubi legitimo tempore transacto maturuit, in lucem edidit (v. 96—104). Jam vero reliquae Cadmi filiae Semelen mortem ideo oppetisse divulgabant, quod mortalis hominis compressu gravidata se ab Jove compressam esse Cadmi patris consilio simulasset.

Haec postquam ipse Bacchus in prologo enarravit — atque sunt fere eadem, quae Apollodorus in l. III<sup>i</sup> c. 4<sup>o</sup> exhibet — addit se nunc Thebas venisse, ut matrem a turpissimo probro defenderet, a matris sororibus meritas poenas exigeret, sua denique sacra ibi quoque institueret. Ubi vero educatus sit, ipse non narrat, sed tam ex Phrygiae, ubi praecipue Rhaeae religiones colebantur, quam ex huius ipsius et ab ipso (v. 59) et in chori carminibus saepius (v. 79, 128) facta mentione conicere licet, Euripidem ab iis non discrepasse, qui Bacchum peragrata Aegypto et Syria (Appollod. l. 1.) in Phrygiam advenisse ibique ab Rhea sive Cybele dea educatum et sacris initiatum esse perhibebant. Tum plerique ferunt eum complures Asiae terras, quas ipse (v. 13—19) enumerat permigrasse et usquequaque sacra et religiones suas con-

stituisse. Quas arctissime cum Cybeles sacris cohaerere et permulta docent veterum scriptorum testimonia et ipse Euripides aperte indicat (v. 128—134), quin hic adeo illa inter se videtur permiscuisse, ut nullam plane inter Bacchi et Rheae cultum statueret differentiam. Huius enim famuli — quibus Corybantibus nomen fuisse constat — illi quoque attribuuntur, nam Baccho pariter atque Rheae *βυρσότονον κύκλωμα* inveniunt, cuius in utriusque cultu frequentissimus est usus; atque ipsum thiasum suum secum ducit Bacchus a Tmolo monte (v. 55, 56) i. e. ex iis regionibus, quae Rheae potissimum cultu erant consecratae; quin qui Rheae orgia celebrant homines non minus illorum animae sacris purificationibus consecrantur, quam qui Bacchi (v. 79, sqq.).

At ne solius quidem Rheae cum Bacchi sacris commiscuit poeta, sed Jovis quoque, in antistrophe III<sup>a</sup> nominatis Curetibus, huius proprie famulis, et nataliciis locis Jovis in Creta insula nati. Qua de re Strabonem audiamus, qui (geogr. X, 3, 469) in Creta insula non solum Dionysum, sed etiam Jovem et hunc quidem peculiari modo cultum esse narrat a Curetibus, qui in Jovis cultu eodem munere, quo Satyri in Bacchi functi essent. Furore enim abreptos eos peregissee armis succintos saltationem quandam (quam Graeci *πρύλιν* sive *πυθόρχην* nominant) magno cum cymbalorum, tympanorum, tiliarum, atrocium clamorum strepitu ac tumultu. Habes *δργιασμοῦ* omnibus absolutam numeris imaginem. Nequaquam igitur mirum, quod Euripides saepius respicit ad cohaerentiam illam et conspersionem, quae inter Jovis et Rheae et Bacchi est sacra. Quippe obversabatur poetae oculis perfecta quaedam *δργιασμοῦ* imago et ratio, quo hominum animae consecrarentur et expiarentur; huius vero principem et auctorem Bacchum facit, cui omnes illae *δργιασμικαὶ* religiones, quibus alii quoque dii celebrabantur, sint sacrae, ad quem tota *δργιασμοῦ* ratio pertineat.

Sed iam aggrediamur ad ipsam rem.

*Σκηνη* in qua fabula docetur, ante regiam Cadmi est in Cadmea arce sitam, cuius ipsius pars aedes Semeles fuerant. Huius

ruinas in scena conspicuas esse v. 7 docet; quas in ipsa fabulae actione fumum et exiguas flammulas emississe conicio ex v. 8. Inter cetera scenae ornamenta etiam statuas Dirces et Ismeni collocatas fuisse putes; nam et utriusque in v. 5 fit mentio et in secundo stasimo inde a v. 519 incipiente illam quasi praesentem chorus appellat. Praeterea ex ipsius Bacchi verbis concludimus, Semeles monumenti vel busti (v. 5 ὄρω δὲ μητρός μνήμα τῆς κεραυνίας τόδ' ἐγγὺς οἴκων) a Cadmo exstructi effigiem in scena fuisse positam.

Prodit in scenam primus ipse Dionysus humana specie indutus, quam ipse narrat se cum divina commutasse, sed ita, ut primis statim verbis divinitatem patefaciat vel illi formae iniunctam. Habitum et ornatum eundem eius fuisse verisimile est, quem Graecos artifices pulcro Deo tribuisse scimus; „oculi aestum animi produnt — Adriani utor verbis — coma flava de humeris defluit, iuvenile caput hedera cinctum fasciaque frontali ornatum est, corpus longa crocea veste indutum; pectus *μασχαλιστήρ* ille *ἀνθεινός* amplectitur, ab humero dependet nebris, manus thyrsus tenet. — *Προλογίζων* Bacchus unde et quo ductus consilio Thebas venerit, explicat; se matris sorores furore abreptas in montes expulisse et ut bacchico apparatu se ornarent coëgisse dicit, ut etiam Thebanorum urbs suum numen comprobaret. Praeterea se Pentheo, Cadmi nepoti dei cultui infestissimo, se re vera deum esse monstraturum explicat. Cognoscimus igitur prologi ope et locum, ubi mentem defigamus, et consilium dei, unde filum tragoediae deducitur, atque auguramur Thebani regis et scelus et exitum.

v. 1. *Θηβαίων χθόνα* libri, quos secuti sunt Elmsley, Bothe, Kirchhoff, Witzschel, Schoene in ed. altera. *Θηβαίων* schol. Heph. p. 183 et Priscianus vol. II. p. 48 ed. Krehl, Hermann, Hartung, Schoene ed. prior. Hermannus cur *Θηβαίων* quam *Θηβαίων* legi malit causam affert quod *Θηβαία χθών* simpliciter nominandae regioni inserviat, *Θηβαίων* autem *χθών* cum oppositione quadam dicatur aliorum, quam Thebanorum. Sed ea ipsa res me ut librorum scripturam teneam commovet. Nam hoc loco re vera *Θηβαίους* cum



aliorum oppositione quadam nominari ex v. v. 20—23 elucet, quibus, postquam apud quas alias gentes iam cultum suum constituisset enarravit, diserte indicat se nunc Thebanos quoque suis sacris initiaturum esse. Praeterea rem conficit Bothii ratio, qui Baccho non cum Thebis, sed cum Thebanis rem esse rectissime monet.

3. ἀστραπηφόρῳ πυρὶ. ἀστραπηφόρῳ aperte passivo sensu accipiendum est et ab ἀστράπήφορος repetendum: ignis ille fulmine ferebatur.

4. μορφὴν ἀμείψας ἐκ Θεοῦ βροτησίαν. ἀμείβειν idem est atque commutare, alterum pro altero sumere vel dare. Itaque cum aliqua res cum alia commutatur, de suo loco decedit vel cum hic status cum illo commutatur, ex priori in alterum statum transitur, ut nihil mirum sit, si cum ἀμείβειν interdum coniunctam deprehendimus ἐξ praepositionem veluti hoc loco et Or. 1503 ἀμείβει καινὸν ἐκ καινῶν τόδε.

5. Πάρεμι νάματα καὶ ὕδωρ. Cum non ita raro παρῆναι cum substantivis adiecta praepositione ita coniungatur, ut motio in eum locum significetur, ubi aliquis perfecta movendi actione affuturus est vel etiam re vera iam adest veluti Xen. Cyrop. 6, 2, 40 παρῆναι εἰς τὴν τειραγμένην χώραν, rarissime tamen colligatum reperitur cum nudo accusativo loci ut hoc loco, quibus ex Elmsleii editione depromptum exemplum licet addere hoc: Cycl. 95 πόθεν πάρεσι Σικελὸν Αἰτιαῖον πάγον.

7. 8.

ἐρείπια

τυφόμενα Διου πυρὸς ἐτι ζῶσαν φλόγα libri, τυφόμενα Διου τε πυρὸς κτλ. Elmsleius, qui quoniam particulam τε sententiae necessariam esse neque careri posse putabat, librorum scripturam retinuit quidem sed asterisco notavit. Contra Hermannus disputat existere ambiguitatem servata particula τέ, qua ommissa locus minime sit ambiguus. „Nam, inquit, si servatur τέ ad φλόγα referendum est ὄρω. Atqui non flammam ardentem vidit Bacchus, sed fumum, testem ignis nondum penitus extincti. Ac possunt quidem verba ita uccipi, ut, cum fumum significare velit, flammam adhuc vigentem videre dicat: sed est tamen hoc ambigue dictum.“ Fateor me hanc summi viri

rationem non satis intelligere. Iam enim apparet, in diversas partes duas locum accipi posse. Namque aut dudum iam extinctus fuit ignis eo tempore, quo mater mortua, ipse in lucem susceptus est — quot enim ex dei ortu tum iam praeterlapsi sunt anni! — aut etiam tum ignis ardens Baccho — addo et spectatoribus — erat conspicuus. Si illud sumas, manifestum est neque fumum *ἔρειπίων τυφομένων* neque ignem ardentem — *ἔτι ζῶσαν φλόγα* — Bacchum potuisse videre. Nulla igitur *τέ* servato evadet ambiguitas: proprie enim neque fumum conspicit Bacchus neque ignem; sed cogitatione, opinor, non minus hunc quam illum sibi poterat repraesentare. Veruntamen non facile adducar, ut fecte tantum Bacchum credam simulare se aedium ruinas etiamtum fumantes flammamque vigentem conspiceret. Potius crediderim in ipsa scena Semeles bustum ita fuisse repraesentatum, ut fumum et ignis flammulas emitteret. Nam quin re vera monumentum quoddam Semeles ex aedium rudibus fortasse exstructum in scena et Baccho et spectatoribus fuerit conspicuum nemo dubitat, quoniam ipse deus se illud suis oculis dicit cernere proprio aperte sensu (v. 6 *ὁρῶ δὲ μητρὸς μνηῆμα*); quid igitur est, quin etiam fumum et flammam statuamus ibidem fuisse in omnium conspectu? Atque revera ignis flammulas licet exiguas admodum perpetuo arsisse, etiam, siquidem aliquid video, versus declarant 591—594 *πῦρ οὐ λεύσσεις οὐδ' ἀγάζει Σεμέλης ἱερὸν ἀμφὶ τάφον, ἄν ποθ' ὁ κεραυνοβόλος ἔλιπε φλόγα Διου βροντῆς*. Jupiter enim reliquerat eo loco, ubi Semele partum ediderat, *φλόγα*, quam omnibus conspicuam Bacchus ad magni incendii vehementiam suscitavit. Itaque non mentis cogitatione sibi repraesentat Bacchus illum fumum et ignem, sed suis oculis adspicit.

Sed tamen in senarii metro ad suam legem disponendo summam offert illud *τέ* difficultatem; nam quem libri exhibent trimetrum:

*τυφόμενα Διου τε πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα* plane nullus est. Quem ut sanaret, Porsonus coniecit:

*τυφόμενα Διου ἰἔτι πυρὸς ζῶσαν φλόγα* additis his: mutatus est verborum ordo ab aliquo, qui vocem *ἔτι* a verbo, ad quod pertinebat, disiunctum ferre non potuit. Sed ita in Orestis fabula 414



ἔτι πρὸς θεορμῇ τάφου.“ Assentirer viro praeclarissimo, nisi qualem constituit senarius admodum cadere videretur importune: quippe caesura omnino nulla fere videtur.

Sed illo τὲ optime videtur posse supersederi, dummodo intellectum habeamus, quomodo *ἔρεια τυφόμενα γλόγα* explicanda sint. Et mihi quidem accusativus ille *γλόγα* cum passivo *τίφεσθαι* „fumi-gari“ coniunctus ad id accusativorum genus referendus videtur, quod Krüger vocat accusativum des *Σημάτων*, Curtius melius fortasse accusativum des inneren *Objectes*, qui accusativus id substantivum effert, cuius notionem ipsum verbum continet, veluti *πληγὴν τύπτοι-μα βαρυνάτην*. *Τύφεσθαι* nihil potest nisi flammā, prodit res *τυφόμενη* flammam vel in se recipit potius; proprie igitur *ἔρεια τυφόμενα γλόγα* sunt *Trümmer*, die in Rauch versetzt werden in Bezug auf eine Flamme, melius nos die dampfen, rauchen von der Flamme, ruinae igne fumigatae vel igne prodentes fumum.

9. *ἄθάνατον Ἥρας μητέρ' εἰς ἐμὴν ἕβριν*. accusativus *ἕβριν ἄθάνατον* appositionis loco ad totum enuntiatum *ἔρεια τυφόμενα Διον πρὸς ἔτι ζῶσαν γλόγα* pertinet: ruinae illae, quae usque vegetam produnt flammam, sunt quodammodo *ἄθάνατος Ἥρας ἕβρις*, ex iis enim inextincto igne fumantibus inextincta Junonis ira cognoscitur. Non aliter infra (v. 30) *Κάδμου σοφισματα* appositionis munere funguntur adiectae ad totum enuntiatum *Σεμέλην ἀναφέρειν*, illud enim *ἀναφέρειν* calliditas est Cadmi, quem Semelae ut suam culpam in deum vertat suasisse dicunt illius sorores. Eadem ratione legitur in Alc. v. 7. *καὶ με θετεύειν πατὴρ θενητῷ παρ' ἀνδρῶν* liegend *τῶνδ' ἄποιν' ἠνάγκασεν*.

10. *ἄβατον ὃς πέδον τόδε Τιθησι θυγατρὸς σηκόν*. Constat omnia loca fulminibus percussa Jovis sacra habita fuisse. Itaque humo, in quam fulmen deciderat, in foveam abscondita ea loca sacra aliqua arbore obserebantur ac ne quis invaderet saepimento circumdabantur. Tali saepimento etiam Semeles bustum circumdatum fuisse ex voce *ἄβατον* licet concludere neque veri videtur dissimile illud ipsum in scena conspicuum fuisse; arborem busto insitam fuisse — hanc quoque fortasse in scena conspicuam —

Bacchus ipse indicat, narrans se vitis uviferae fronde matris sepulcrum circumdedisse. Atque quod vitem hoc loco commemorat plantatam, illam arborem non est quod moneamus ipsi sacram fuisse.

12. βοτρυνώδει χλόη. In terminatione — ώδης cum proprie insit similitudinis notio, haec tamen in plerisque verbis evanuit et in copiae potius vel abundantiae notionem abiit. Sic βοτρυνώδης est ferax uvarum, πολύβοτρυνς ut interpretatur Elmsleius, πορσωδης, quod infra (v. 146) legitur, large ardens, άνδευμώδης floridus πολυανθής s. πολυάνθεμος significat. Praeterea non ab re esse videtur monere πυρσωδης et βοτρυνώδης voces Euripidem novas finxisse; illud a posterorum receptum est nemine, hoc recentioris aetatis scriptores velut Athenaeus usi sunt.

v. 13—23. λιπών ad Ανδών τους πολυχρόσους γύας Φρυγών τε refert Schoenius — in Phrygia enim et Lydia educatum esse Bacchum; επελθών ad omnia illa obiecta πλάκας — τείχη — χθόνα — 'Αραβίαν — 'Ασίαν — nam virum factum deum Persidem, Bactriam, Arabiam, Joniam bello subegisse. Atque Elmsleius Bacchum quam accuratissime distingui velle ratus, apud quos sacra sua in virilem aetatem proventus statuisset, pro Περσών τε scribendum duxit Περσών δέ. Ego Hermannō assentior, qui tali adhibita distinctione, quae quam quaesita sit nemo non videt, exilem fieri narrationem putat, et ut oratio ad ornatam quandam concinnitatem accedat, a λιπών suspensa puto omnia obiecta usque ad πλάκας, cetera obiecta attribuo insequenti επελθών vel potius ut ego lego επήλθον.

Ceterum quales hi versus in omnibus libris scribuntur ferri nullo pacto possunt. Ac primum quidem non neglegendum quod Strabo XV p. 687 επήλθον legit, non επελθών. Illud genuinum putaverim; nam recepto επήλθον evanescet summa illa narrationis molestia, quae, ut hodie legunt, per septem versus sine verbo finito per sola participia λιπών et επελθών continuatur.

Deinde illud versuum agmen, quibus Bacchus narrat, quas terras visitarit, interrumpit repente v. 20 εις τήνδε πρώτον ήλθον Έλλήνων πόλιν ita, ut post hunc demum quo consilio illas terras peragra-

rit deus exponat. Segregatur igitur importunissime illo versu dei de itineribus suis narratio a consilii mentione, cur ea fecerit. Sed quis deum tam incomposite, tam inepte loqui putabit, ut quod vsu 20 narravit, se primas advenisse Thebas, id vsu 23 iisdem fere verbis sine ulla causa iterum exponat? Aperte prior ille versus 20 a librario quopiam est additus, qui ut vsum 23 interpretaretur versum 20 inseruit post earum terrarum nomina, quas Bacchus prius quam Thebas venisset frequentarat. Inde altera fluxit corruptio. Illo enim versu in textum recepto in versu 22 ἐδείχθην mutatum est in ἐν' ἔην, quoniam illud nullum amplius praebebat sensum. Huius autem ἐδείχθην vestigia deprehenduntur in Χριστοῦ πάσχοντος v. 1564: τελειὰς ἐδείχθην ἐμφανῶς δαίμων βροτοῖς.

Haec omnia complectenti mihi v. 20 eiiciendus, totus autem locus sic restituendus videtur:

13. λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρῦσους γύας  
Φρυγῶν τε Περσῶν ἔ' ἡλιοβλήτους πλάκας —

15. Βάκτριά τε τείχη τήν τε δύσχιμον χθόνα  
Μήδων ἐπῆλθον Ἀραβίαν ἔ' εὐδαίμονα  
Ἀσίαν τε πᾶσαν ἢ παρ' ἄλμυρὰν ἄλα  
κεῖται μιγάσιν Ἑλλησι βαρβάρους ἔ' ὁμοῦ  
πλήρεις ἔχουσα καλλιπυργώτους πόλεις.

20. κἀκεῖ χορεύσας καὶ καταστήσας ἐμὰς  
τελειὰς ἐδείχθην ἐμφανῆς δαίμων βροτοῖς.  
Πρώτας δὲ Θήβας κτλ.

14. πολυχρῦσους γύας Λυδῶν. πολύχρυσοι vocantur Lydorum γύαι, quia Pactolus fluvius a Tmolo monte oriens aurum secum ferebat. Eadem causa infra (v. 154) Τρωῶλος vocatur χρυσοδόσας.

v. 24. ἀνωλόλυξα Θήβας. Cum omnibus locis ἀνολολύζειν prae se ferat intransitivam notionem, hic transitivo sensu usurpatum est; aperte ἀνὰ praepositionis hic mere est localis natura, non intensiva, et eius rei ἀνολολύζειν postulat accasativum, in qua actionis finis positus est. Thebas, inquit, perululavi — sit venia verbo quamvis non latino — i. e. bacchico furore implevi, Thebae ut ululatibus in meum honorem factitatis resonarent effeci.

24. 25. νεβρίδ' ἑξάψας χροῶς

Θύρσον τε δούς εἰς χεῖρα . . .

ad ἑξάψας et δούς ex praecedente Θήβας supplendum est ταῖς Θηβαίαις usu Graecorum frequentissimo.

25. Θύρσον τε δούς εἰς χεῖρα, κίσσων βέλος. Θύρσον habet codex Palatinus, quem sequitur Schoene, ii, quorum libros mihi inspicere licuit editores, Θύρσον. Recte, opinor. Nam quamquam genitivus Θύρσον nihil habet offensionis — est enim is quem grammatici, quoniam unum substantivum in genitivo casu positum additum est alteri, ut explicetur quid sit alterum hoc substantivum, vocant epexegeticum — tamen apti aliquo sensu ductus rectius Θύρσον legere mihi videor, cui κίσσων βέλος appositionis loco adiectum est. κίσσωνος novum vocabulum est ab Euripide ipso fictum.

31. ὅτι γάμου ἐψεύσατο. accuratius his verbis ea explicantur quae praecedunt σοφίσματα . ὦν οὔνεκα κτλ.

32. νιν ἀντάς eas ipsas. Utrumque pronomen suum habet explicationem; νιν nihil est, nisi simplex pronomen determinativum eas; cui ἀντάς additum est ad significandam oppositionem aliquam, qua ipsae illae ἀδελφαὶ μητρὸς matri ipsi oppositae sint. Sensus enim hic est: „Semelen poenas dedisse iactarunt eius sorores; propterea has ipsas merita superbiae poena affeci et in furorem turbavi.“ Minime igitur audiendi Elmsleius et Schoenius, qui ἀντάς oppositum esse censent παντὶ τῷ θήλει σπέρματι Καδμείων (v. 35).

33. ὄρος οἰκοῦσι: Cithaeronem.

32. ὄστρησ' ἐγώ Elmsleius et Nauckius, ceteri editores οἴστρησ' ἐγώ. Nondum mihi, fateor, utrum οἴστρησα an ὄστρησα praefendum sit liquet; itaque Hermannum sequor, qui Graecos in verbis valde usitatis, quae ab οἰ diphtongo incipiunt, usurpavisse augmentum videri dicit, in iis autem, quae minus essent usu trita, abstinuisse eo. Scribo igitur οἴστρησα.

30. Σεμέλην ἀναφέρειν sc. ἔφασκον, quod ex praecedente οὐκ ἔφασκον supplendum, usu frequentissimo, quo ex praecedente enunciato negativo vel verbo vetandi verbum affirmativum ad proxima est supplendum. Pariter Soph. Oed. tyr. v. 249 incipit τὸν ἄνδρ'



ἀπαυδῶ τοῦτον μήτ' εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινα et pergit ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας scil. κελεύω. Praeterea conferre libet Corn. Nep. Cim. 1, 4 Elpinice negavit se passuram Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire seque (scil. dixit) Calliae nupturam. Hor. Sat. I, 1, 1. Qui fit, ut nemo — contentus vivat, laudet (scil. quisque) diversa sequentes.

35. 36. πᾶν τὸ θῆλυ σπέρμα Καδμείων, ὅσαι γυναῖκες ἦσαν. ὅσαι γυναῖκες ἦσαν interpretamentum est ad πᾶν τὸ θῆλυ σπέρμα. Non credo hoc loco cogitandum esse de discrimine aliquo inter γυναῖκας et παῖδας, quod Bothius statuit eo additamento Euripidem significare voluisse.

36. ἐξέμνηα δωμάτων. in ἐξέμνηα hoc loco tantam tribuit poëta ἐξ praepositioni vim, ut verbum ipsum μάλιν aliquo modo loci susceperit significationem; non enim nude significat aliquem furibundum facere, sed furiosum illum motum notat, quo Bacchae ex aedibus exturbatae in montem ferantur.

37. ὁμοῦ ἀναμεμιγμένοι ut supra ὁμοῦ μιγάσι. Non raro cum miscendi verbis coniungitur ὁμοῦ adverbium. cf. Soph. El. 715 ὁμοῦ πάντες ἀναμεμιγμένοι.

39—43. δεῖ γὰρ πόλιν τήνδ' ἐκμαθεῖν κεῖ μὴ θέλει  
ἀτέλεστον οὔσαν τῶν ξυῶν βακχευμάτων,  
Σεμέλης τε μητρὸς ἀπολογήσασθαι μ' ὑπερ  
φανέντια θνητοῖς δαίμον', ὃν ἵκτει Δι.

Quam Elmsleius putat horum verborum structuram esse: δεῖ πόλιν τήνδε ἀτέλεστον οὔσαν τῶν ξυῶν βακχευμάτων ἐκμαθεῖν scil. αὐτά, (τὰ βακχεύματα) κεῖ μὴ θέλει eam fateor mihi admodum impeditam et Hermannus potius hoc modo explicantis rationem sequendam videri: δεῖ πόλιν τήνδ' ἐκμαθεῖν ἀτέλεστον οὔσαν τῶν ξυῶν βακχευμάτων i. e. ἐκμαθεῖν, ὅτι ἀτέλεστός ἐστιν. Frequentissima illa aperte hic usurpata est structura, qua verba discendi, cognoscendi, alia cum participiis coniunguntur. Recte igitur Hermannus interpretatur: „oportet hanc urbem intelligere se non esse sacris meis initiatam“, id quod non sine aliqua minatione dici manifestum est. — Reliqua quomodo interpretanda putaret, Hermannus non exposuit, Schoenius autem

ita locum explicat, ut viro doctissimo nullo modo possim assentiri. Pergit enim, postquam participium *φανέντα* pariter atque *ἀτέλειστον οὔσαν* ad *ἐκμαθεῖν* referendum esse dixit, ita: „et ad defendendam matrem me mortalibus apparuisse deum, quem illa Jovi pepererit.“ Manifesto igitur locum exponit sic: *δεῖ πόλιν τήνδ' ἐκμαθεῖν ἀτέλειστον οὔσαν καὶ ἐμὲ φανέντα θνητοῖς ὑπὲρ (τὸ) ἀπολογίσασθαι Σεμέλης μητρὸς*. Nam si ad *ἐκμαθεῖν* pertinet *φανέντα*, praepositio *ὑπὲρ* nusquam referri potest nisi ad *ἀπολογίσασθαι*. Neque alia fuisse videtur Schoenii sententia, quippe qui interpretetur: „ad defendendam matrem“ aperte in *ὑπὲρ* ut saepissime sic hoc loco finalem vim inesse ratus. Ac profecto nemo solum infinitivum sine illud *ὑπὲρ* positum inservire posse putabit significando consilio. Sed quomodo genetivus *Σεμέλης μητρὸς*, qui ab *ἀπολογίσασθαι* nullo pacto potest pendere, sibi explicandus esse videretur, ea de re Schoenius nihil exposuit. Nam cum *ὑπὲρ*, ut Schoenius locum interpretatur, ab *ἀπολογίσασθαι* nequaquam possit separari, manifestum est nullam esse vocem, ex qua ille genetivus suspensus sit. Sed mihi locum accurate consideranti nullum dubium est, quin sit ordo verborum ita disponendus: *δεῖ πόλιν τήνδε ἐκμαθεῖν ἀτέλειστον οὔσαν τῶν ἐμῶν βακχευμάτων καὶ (δεῖ)ἐμὲ φανέντα θνητοῖς δαίμονα ἀπολογίσασθαι ὑπὲρ Σεμέλης μητρὸς*. Ex *δεῖ* igitur pendent duo infinitivi: *ἐκμαθεῖν* et *ἀπολογίσασθαι*, *ἀτέλειστον οὔσαν* pertinet ad *ἐκμαθεῖν*, *φανέντα δαίμονα* ad *ἐμὲ*, *Σεμέλης μητρὸς* suspensum est ex *ὑπὲρ*. Itaque totum locum hoc modo interpreto: „Oportet hanc urbem intelligere se non esse sacris meis initiatam et me matrem meam defendere deum me hominibus ostendendo, quem Jovi peperit.“ Atque haec bene videntur cum sententiarum nexu conspirare: Quia matrem meam probro affecerunt meque a Jove natum esse negaverunt, me divina stirpe ortum esse sacris meis hic introductis ostendam atque hac ipsa re matrem meam defendam. Alterum ab altero separari nequit: ubi enim Bacchi sacris initiatae erunt Thebae mulieres, intellegent eum re vera a deo procreatum ideoque ipsum deum esse nec Semelen cum homine, sed cum deo concubuisse, omni igitur culpa vacuum esse.



45. ὃς θεομαχεῖ τὰ κατ' ἐμέ. libri et editiones, quas ego habui, omnes, praeter Schoenianas, quae θεομανεῖ exhibent causa non indicata, θεομαχεῖ dant. Quod huic loco aptissimum videtur. Manifesto enim in θεομαχεῖν vocabulo inest repugnantiae cuiusdam notio, qua aliquis vel deorum religiones in universum vel unius certe numinis cultum repudiet et omni sanctimonia alienus suam voluntatem potiore habeat sanctitatibus et religionibus deorum. Et fuit sane Pentheus adversarius Bacchi et contemptor acerbissimus, id quod non solum ex proximis verbis, quibus a sacrificiis excludere Bacchum neque in precibus faciendis ullum huius habere respectum narratur, sed ex tota fabula, cuius ipsum quasi consilium esse videtur, ut quam vani sint hominum contra divina numina conatus Penthei exemplo demonstraretur, patet luculentissime. Itaque accommodatissima videtur huic loco pugnandi vel impugnandi notio, qua illustretur certamen illud, quod Pentheus contra Bacchum eiusque cultum susceperit neque ulla mutatione opus. Eodem plane reluctandi contra deos sensu recurrit θεομαχεῖν in v. 325 οὐ θεομαχήσω σῶν λόγων πεισθεῖς ὑπο et 1255 ἀλλὰ θεομαχεῖν μόνον οἶός τ' ἐκεῖνος, ubi ne Schoenius quidem quidquam mutavit. — Quamquam concedendum huius θεομανεῖ inde suam habere commendationem, quod is qui deos impugnare audeat, profecto non utitur sana mente, sed agit abreptus ingenti quadam insania.

46. ἐν εὐχαῖς οὐδαμῶς μείλαν ἔχει scil. ἐμοῦ. Codex Palatinus habet οὐδαμοῦ, Florentinus οὐδαμῶς. Cum in οὐδαμοῦ localis vis praevalere soleat, in οὐδαμῶς contra nuda negandi notio, hoc ego huic loco magis convenire censeam.

50. μετασίησω πόδα Δεικνὺς ἐμαυτόν. Nemo pro δεικνὺς expectabit δειξῶν, qui reputaverit, quam saepe in praesenti conatus quem dicunt et consilii insit significatio.

51. Βάκχας. Hoc loco Thebanas mulieres, quae in Cithacronem montem se contulerant, intelligendas esse recte Schoenius monet. Contra auctore Hermanno in proximo versu apparet Μαινάδων nomen non de his solis, sed de omni et Thebanarum et

et ex Asia adductarum mulierum grege intelligendum esse. Cum his enim, inquit, in unam aciem coniunctis Thebanos repellam.

52. *συνάψω Μαινάσι στρατηλατῶν.* *Μαινάσι* et ad *συνάψαι* et ad *στρατηλατῶν* referri potest, quaesita ni fallor ab ipso poëta ambiguitate. Quodsi ad *συνάψω* referes, *Μαινάσι* is dativus est quem vocant instrumenti quemque pariter atque Romanorum ablativum saepe adhiberi constat ad significandos milites vel alia qualiacunque hominum agmina, per quae aliquid factum est. Idem Hermannus sensisse videtur, qui interpretatur: „exercitu Maenadum pugnam conseram.“ Sed ad *στρατηλατῶν* quoque apte et mea quidem sententia aptius quam ad *συνάψω* referetur *Μαινάσι*, pro quo ne quis *Μαινάδων* exspectet, reputandum est, haud raro imperandi vel potius ducendi verba imprimis a poëtis cum dativo construi. Ita El. 321 *σῆπτῖρ' ἐν οἷς Ἑλλήσιν ἐστρατηλάτει.* Androm. 323 *σὺ δὲ στρατηγῶν λογάσῃ Ἑλλήνων ποιεῖ Τροίαν ἀφείλου.*

53. 54. libri ὧν οὐνεκ' εἶδος θνητὸν ἀλλάξας ἔχω  
μορφὴν τ' ἐμὴν μετέβαλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν.

Hermannus recte multa abundantius dicere solere tragicos disputat, sed talem tautologiam, qua non modo rem ipsam bis dicat, sed bis etiam eodem modo composita oratione, putidiorem videri, quam ut admissa ab Euripide credi possit. Mutavit igitur *ἔχω* in *ἐγὼ* et ex altero versu *τέ* eiecit: *εἶδος θνητὸν ἀλλάξας ἐγὼ Μορφὴν ἐμὴν μετέβαλον.* Contra tamen Hartungus hac Hermanni mutatione locum minime sanare docet; revera enim idem bis dictum esse etiam illa admissa apparet eo tantum discrimine, ut, cum antea coordinatum fuerit utrumque, nunc subordinatum alterum alteri procedat. Itaque Hartungus alterum versum ex hac vel alia aliqua Euripidis fabula huc transscriptum ideoque eiiciendum putat. Nos neque Hermanni mutationem probamus neque Hartungi, ut ita dicam, *ἀθροίσεων* faciendarum prurigine nos abripi patiemur. Potius Schoenii amplectimur emendationem et facillimam et elegantissimam, qui *εἶδος θνητὸν* in *εἶδος θεῖον* mutato totam illius tautologiae importunitatem sustulit.

His de se suisque consiliis praemissis, quibus quasi funda-

mentum, cui tota fabula superstructa est, continetur, advocat Bacchus chorum Baccharum, quas ex Lydia secum comites administrasque duxit, et hortatur, ut Penthei aedes inter tympanorum strepitum circueant; se indicat in Cithaeronem esse discessurum participem futurum saltationum, quae ibi a Thebanis Bacchis factitentur.

56. *Θίασος* Harpocrat. s. v. *Θίασος* haec habet: *Θίασός* ἔστι τὸ ἀθροιζόμενον πλήθος τῆς τελετῆς καὶ τμητῆς θεῶν et Athen. p. 362 E. τὸ βακχικὸν πλήθος, ὃ τῷ Διονύσῳ παρεπόμενος ὄχλος.

Bacchi thiasum ab antiquioribus hominibus ex nutricibus illis et nymphis constare creditum fuisse, a quibus nutritus et educatus esse ferebatur deus, ex antiquissima, quam de Baccho ab Homero factam in Il, VI, 131—140 legimus, mentione colligere licet:

130 *Λυκόοργος* —

132. ὃς ποτε μαινομένοιο Διονύσοιο τιθήνας

σεῦε κατ' ἠγάθειον Νυσήμον' αἱ δ' ἄμα πᾶσαι

θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν κτλ.

Posteaquam vero ingentia illa Dionysi cultus cepit incrementa et fabulae de deo et antiquae et novae usquequaque sunt propagatae et ipsi poëtae et sculptores Bacchi potissimum numen celebrandum sibi sumpserunt, non plurima solum nova eius cultui sunt addita sed etiam ipsa dei caterva, qua semper putabatur circumdatus, et in mirum tam virorum quam mulierum numerum adaucta et insigni quadam varietate exornata est, quae quanta fuerit ex Strabonis l. X. p. 717 conicias: *Διονύσου πρόπολοι Σειληνοὶ τε καὶ Σάτυροι καὶ Βάκχαι Ἀῖναι τε καὶ Θυῖαι καὶ Μιμαλλόνες καὶ Νύμφαι καὶ Τίτηροι προσαγορευόμενοι*, quibus addere licet *Βασσαρίδων, Βισιόνιδων, Μαινάδων, Πάνων, Κενταύρων* nomina. Maximas tamen ex his Bacchi comitibus partes putatas esse constat a mulieribus geri, imprimis a Lydiis, ex quibus ipsis huius tragoedia chorum compositum finxit poeta.

37. *ἐκόμισα παρέδρους καὶ ξυνεμπόρους ἐμοὶ*. *ἐμοὶ* manifestum est non ad *ἐκόμισα* sed ad *ξυνεμπόρους* pertinere frequentissimo illo usu, quo substantiva verbalia cum eodem casu construuntur quo

eiusdem notionis verba. Idem *ξυνέμπορος* cum dativo coniunctum legitur Hel. 1539 Ἕλληνες ἄνδρες Μενέλεω ξυνέμποροι. Aesch. Choëph. 733 λύπη ἄμισθός ἐστὶ σοι ξυνέμπορος.

58. *τάπιχάρι' ἐν πόλει Φρυγῶν Τύμπανα*. tympana maxime in Rheae, Phrygiae deae, cultu usitata fuisse supra monui. Inde *ἐπιχώρια ἐν πόλει Φρυγῶν* vocantur.

61. *κινπεῖτε ὡς ὄρῳ Κόδμου πόλις. ὄρῳν* constat non solum de iis rebus usurpari, quae oculis animadvertuntur, sed etiam de iis, quae auribus percipiendas se offerunt. Ita huic loco adhibitum est neque aliter in Soph. Oed. Col. 137, ubi Oedipus diu iam oculorum lumine adeptus dicit *ὄρῳ τὸ φαυζόμενον*.

Ubi primum Bacchus discessit, in orchestram ingreditur chorus quindecim mulierum Lydiarum, quarum ornatus — non diversus quidem ille ab eo, quem antiqui scriptores ubique Bacchis attribunt — qualis fere fuerit ex ipsis poëtae verbis cognoscitur.

Pectora eorum et terga obvoluta fuerunt *νεβρίδι*, pelle hinnuli (v. 24 *νεβρίδ' ἐξάψας χροός* — v. 137 *νεβρίδος ἔχων ἰερὸν ἐνδυτόν*. v. 111 *σικιῶν ἐνδυτὰ νεβρίδων στέφετε λευκοτριχῶν πλοκάμων μαλλοῖς*, ex quo versu elucet, illas *νεβρίδας* ad augendum totius vestitus splendorem artificiose distinctas fuisse candidis lanae floccis).

Capita vario ornatu decorarant Bacchae. Crinibus enim in-nexas gestabant vyperas, quod ex v. 101 colligas: *ἐνθεν ἄγραν θυροσοφόροι Μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις*. Praeterea implicatae erant crinibus coronae hederaceae cum frondibus querceis, pineis et foliis vel floribus smilacis consertae (v. 105. 599.),

In manibus Bacchae gestabant 1) thyrsus — *βακχικὴν ἑάβδον* — levem et tenuem scipionem hedera vel pampino obvolutum. Hunc Bacchi festis pariter atque *νεβρίδα* peculiarem puisse vereor ne putidum sit monere. (v. 24 *νεβρίδ' ἐξάψας χροός θύρσον τε δοός εἰς χεῖρα*. v. 101 *Μαινάδες θυροσοφόροι*. v. 81 *ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων*).



2) *νάρθηκα* — ferulam — ramum excavatum, cuiusmodi in ferula conditum Prometheus ignem de coelo in terram asportasse dicitur. Illis ferulis Bacchas verisimile est taedas insertas gestasse, id quod ex vv. 145—147 *ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων πυρσῶδη φλόγα πεύκας ἐκ νάρθηπος ἄϊσσει* patere videtur.

Et Hartungus quidem, quod Hesychius *θύρσοι* per *κλάδοι*, *λαμπάδες*, *λίχνοι* interpretetur et quod *θύρσος* synonymum sit cum *θύσθλον*, quam vocem idem Hesychius cum *κλάδος*, *ράβδος*, *νάρθηξ* componat, inde apparere contendit candentem illam ferulam, *νάρθηκα* scilicet, idem esse atque thyrsus. Certe Euripidem confirmat nihil dignoscere inter *νάρθηκα* et *θύρσον*, quoniam modo *νάρθηξ*, modo *θύρσος*, modo *νάρθηξ εὐθυρσος* dicat sine ullo significationis discrimine. (v. 154 *νάρθηκά τε, πιστὸν ἄδαν, ἔλαβεν εὐθυρσον*). Idem iam Elmsleius animadvertit, qui tamen re vera aliquid differentiae quamvis ab Euripide neglectae inter hunc et illum interesse non audet negare.

3) Tympanis omnes Bacchas instructas fuisse nihil est quod demonstramus; satis enim apparet ex v. 58 *Θίασος ἐμός· γυναῖκες, αἴρεσθε τύμπανα*. Sed tamen Schoenius, qui quantopere de personarum huius fabulae habitu recte cognoscendo sit meritis eon nescio, suspicatur chorum divisum fuisse in duas partes, quarum altera thyrsos, altera tympana gestaverit. Quod mihi non satis probabile videri confiteor. Primum enim versus illi, quos supra nominavi, satis luculenter indicare videntur, omnes choreutas gestasse tympana, deinde dubito, num poëtae tam longe recedere licuerit ab illa aequabilitatis lege, qua chorum ita semper, quod ego quidem sciam, teneri constat, ut omnes choreutae eodem plane apparatu et ornatu instructi sint. Potius id factum esse crediderim, quod, si omnes et thyrsos et tympana gestassent, necessario faciendum fuisse Schoenius statuit, ut inter saltandum Bacchae thyrsus seponerent.

At iam aggrediamur ad ipsam chori *πόροδον* — *πρώτην ὄλου χοροῦ λέξιν* — explicandam. De singulis vero rebus priusquam exponamus, lubet pauca de illius ratione et argumento disserere.

Non dubium est, quin in huius fabulae componenda parodo, quam proxime ad dithyrambicum genus, destinatum quidem illud deorum praedicandis laudibus, accedere manifestum est, id egerit poëta, ut perfectam quandam et absolutum Bacchici cultus imaginem spectatorum oculis proponeret animisque infingeret. Quod quanta arte effecerit, quanta sollertia summam quasi βαρχηλας repraesentarit, et scenae apparatus et chori ornamentum, et dicendi genus eximiae venustatis plenum, quam et metrorum et sonorum varia forma ac compositione et sententiarum summa gravitate expressit, est documento. Omnia enim subtilissime profecto sunt cogitata et aptissime instructa; omnia divinam quandam animorum spirant permutationem et perturbationem, qua corripere fas erat eas, quae dei sacra obibant, ut mentes a corpore quasi abstractae divino instinctu concitarentur et humanis rebus quodammodo solutae totas se darent dei sacris celebrandis; totum denique carmen ita ad poeti- cam laudem est conformatum, ut nesciam, num ullum aliud finxerit poëta canticum, quo quibus alibi singulis fere splendet virtutibus, eas explicaverit cunctas. Certo nusquam Euripides maiore artis perfectione eum addidit audientium et spectantium animis ardorem, quo destituti esse non debebant, qui rectam se volebant fabulae percipere intelligentiam: „tanta gravitate ac venustate dei maiestatem et orgiorum sanctitatem et beatam pie bacchantium sortem effert.“

Jam argumentum carminis consideremus.

Postquam stropha prima chorus unde advenisset cuiusque laudes praedicaturus processisset exposuit,

antistropha prima omnes et eos, qui in via et qui in aedibus sint, ut ne praesentia sua vel ulla vociferatione sacrorum turbent sanctitatem hortatur, sed de via decedere linguisque favere jubet.

Ita quasi quadam facta prolusione stropha secunda primum eorum beatam praedicat vitae conditionem, qui deorum sacris initiati sanctam degant aetatem et religioso Cybeles et Bacchi cultu consecrent animas. Deinde admonitis Bacchis, ut in dei, quem ex Phrygia in Graeciam deducant, bacchentur honorem, usque ad finem antistrophae secundae mirificum dei ortum enarrat.



Hac de dei ortu absoluta enarratione aptissime sibi viam muniit poëta ad adumbrandam orgiorum caerimoniam ac celebrationem, ut admonitis antea gravissime Thebanis, ut bacchico se decorent ornatu, primum de externo sacrorum apparatu disserat. Itaque a. v. 105 usque ad v. 114. quomodo coronatae quibusque vestibus indutae Bacchae sacra celebrent, explicat;

v. 116 arma nominat, quibus in βακχεία uti soleant;

denique inde a versu 120 usque ad versum 132 musica instrumenta designat, quorum in Baccho celebrando praestantissimus est usus, tympana, tibus Phrygias, quae a quibus inventa sint hominibus quoque modo ex Rheae caerimoniis in Bacchi cultum pervenerint, enarrat.

Sequitur ἐπιπόδος (v. 135—167), quo ipsam orgiorum describit celebrationem chorus.

---

Alteram huius commentationis partem propediem sumus edituri.

---



## V i t a.

---

Conradus Bock natus sum a. d. VIII. Cal. Octobr. anni h. s. XL<sup>i</sup> Nimitii, in oppidulo Silesiae, patre Carolo, qui rebus ecclesiasticis praepositi (Superintendent) munere fungebatur, matre Carolina e gente Mentzel, quos carissimos parentes morte ereptos mihi valde lugeo. Uno anno post patris mortem — a. LI<sup>o</sup> — mater Vratislaviam demigravit meque gymnasio Elisabetano, quod sub Fickerto, Illustrissimo Viro, rectore florebat et floret, erudiendum tradidit. Maturitatis testimonio ornatus vere anni LVIII<sup>i</sup>. almam adii literarum sedem Vratislaviensem, ubi per quadriennium philosophiae, philologiae et historiae operam dedi et Haasii, Rossbachii, Westphali, Branissii, Röpelli, Kahlerti scholis diligenter interfui. Quorum amplissimorum virorum et doctrina et benignitate quantopere in literis proventus sim grata semper tenebo memoria. Auctumno anni LXII<sup>i</sup> in Posnaniam provinciam me contuli atque in privata quadam schola et in fautoris domo per quinque semestria fui praeceptor. Inde ab paschali temporis a. LXV<sup>i</sup>, postquam examen pro facultate docendi Vratislaviae superavi, in progymnasio Olaviensi, in gymnasiis Ratiboriensi et Bilefeldensi deinceps magistri munere functus sum. Paschali huius anni tempore, cum progymnasii, quod Belgardiae sub Rudolphi Bobrik, Ill. Viri, auspiciis laetius in dies efflorescit, placuisset curatoribus, ut in superioris ordinis magistri loco me constituerent, Bilefelda demigravi Belgardiam.

Pridie Idus Martias huius anni ab Illustrissimo philosophorum ordine in Academia Rostochiensi summos in philosophia honores rite sum adeptus.


---

















LIBRARY OF CONGRESS



0 003 047 626 8

